

chorum in captivandis fœmellis dolos amoremque eorum erga mulierculas furtivum ad miraculum usque depingi non videt? Pluribus istud, si ulterius placet audire, cordatus vir *Erasmus Roterodamus* (q) prosequitur, & mores hæreticorum ex Apostolo depingens vivam eorum effigiem in hujusmodi furfuris hominibus sicut. *Hujus sunt, ait, generis isti, qui commendatione simulata religionis, sordidis vestibus, facta severitate vultus, pallore arte inducto insinuant semet in domos alienas, atq[ue] illic primum venantur stultas mulierculas, quo facilius per has imponant viris.* Cui ex nostratium scholis adjici adhuc debet *Mathias Flacius* (r). Cum enim, quos demum adduximus, viri, re saltem impostores in Papatu expresserint, nominatim ille producit eosdem & locum Pauli attendens, Pseudo-spirituales in Papatu & præsertim *Fesuitas* tales esse innuit, ac quando Apostolus Hæreticos mulierculas peccatis onustas captivare scribit, illos cum primis hoc facere addit, quippe qui justicias suas meritaque &, ceu vocare solent, opera supererogationis illis venditant, spem eis faciendo, quod per suorum illorum operam justitiarumque bullariam communicationem servabuntur.

§. XIII. Quod si per sequiora tempora latius oculos circumferimus alibi quoque eandem ferme scenam agi comprehendemus. Inter *Anabaptistas* seculi XVI. priores multi certe extiterunt non modo in domos irrepentes, sed & mulierculas variis artibus capientes. *Erasmus Alberus* notat (s), *Ludovizum Hezerum*, qui una cum ceteris societatis suæ hominibus, *Ringio, Belzero, Sattlero, Pfeiffero, Kauzio, Denckio* amplam hujus sectæ familiam duxit, tredecim nutrivisse uxores; & mox de iisdem sociis addit: *Die Schäfcke überredeten die Weiber/Ghebruch wäre nicht Sünde / sondern ein Werck der Baruths/ herzigkeit und brüderliche Liebe.* Consona his memorat *Sebastianus*

D

stianus

(q) in paraphr. Ep. Pauli ad Tim. c. III. (r) in glossa compend. N. T.

(s) in Praef. Libri wider die Lehre der Carlstadter.